



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. VIII. Vtrum aqua debeat in magna quantitate apponi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

si enim agnosceret diuinum, non debuisset prætermittere, cum id ad redarguendos hereticos multum iuuisset.

Confr. Concil. post verba citata dicitur: *quod Dominum ita fecisse credatur*; quibus verbis indicat inter cetera motiua præcepti ecclesiastici esse Christi factum, scilicet citra præceptum, quod ipsum indicatur in Florent. 2. quia est magis conformis canonis, *cum omnes* qui est Iulij Papæ, ubi dicitur aquam debere permisceri in calice iuxta canonum præcepta, quibus verbis solum præceptum ecclesiasticum insinuat.

Sed quaeritur à quo sit institutum hoc præceptum?

Aliqui existimant ab Alexandro 1. epist. citatâ; verum ipsemet Alexander non obscure insinuat hoc præceptum esse antiquius, cum dicat: *non enim debet, ut à Patribus accepimus &c.* quibus verbis ostendit se non præcipere rem antea liberam, sed docere quid ex anteriori aliquo præcepto fieri necesse.

Verius ergo est hoc præceptum ab Apostolis profuisse, quod indicat Florent. asserens Romanam Ecclesiam à beatissimis Apostolis, Petro & Paulo edoctam, & reliquas Ecclesias tam Græcas quam Latinas ab initio nascentis Ecclesiæ id seruasse, scilicet ex obligatione, nam inde deducit Armenos non debere hac in parte à reliquo orbe discrepare: Apostoli ergo ad imitationem facti Christi Domini iusserunt in calice consecrando aquam vino permisceri.

Ex quo inferitur Ecclesiam posse hanc cæremoniam abrogare; nullo tamen modo; prætextu cuiuscumque necessitatis licet priuato sacrificium offerre sine aquâ.

Aduerte 1. aquam vino admiscendam debere esse naturalem, quia nomine aquæ solitariè sumpto ea solet designari, & ita interpretatur vniuersalis consuetudo; vnde vt D. Th. responsione ad 3. qui aquam rosaceam apponeret in calice, peccaret, & quidem grauiter.

Aduerte 2. hanc mixtionem non debere fieri in dolio, aliove poculo profano, sed in calice, ita enim intelligit consuetudo Ecclesiæ, & can. *cum omnes*, citatus, declarat. Congruentia est quod hæc mixtio fiat per modum cæremoniæ sacræ, & sacram habeat significationem, quod non ita conuenit mixtioni factæ extra calicem.

Quoad tempus, seruanda cuique propriæ Ecclesiæ consuetudo: quibusdam locis miscetur sub initium Missæ, alijs post Euangelium post oblationem panis; infundi etiam debet post vinum, & quidem à sacerdote aut diacono vel subdiacono iuxta receptum Ecclesiæ morem; nam in Missis priuatis solet, & debet infundi à sacerdote, solummodo vero solet interdum infundi à diacono vel subdiacono, præmissa benedictione datâ à sacerdote.

Contra id quod dicitur mixtionem esse præcepti ecclesiastici Obijciunt: cap. 24. Conc. Charthag. 3. ubi dicitur: *In Sacramentis corporis, & sanguinis Domini nihil aliud offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aquæ mixtum*; quod repetitur in synodo Trullana can. 32. ubi dicitur à beato Chrysostomo traditum, vt aqua vino miscetur, quando sacrificium peragi oportet, & additur: *hic ordo diuinus traditus seruatur.*

Resp. omnia quorundam solutione, Concilium Carthaginense & alia ita loqui, non quod velint Christum præcipisse aquæ cum vino permixtio-

nem, sed quod suo exemplo citra præceptum tradiderit.

Obijciunt 2. Cypr. qui epist. 63. censet hanc mixtionem esse præcepti diuini.

Resp. concedendo, sed dico probabiliorem esse opinionem quæ ex Flor. & Trident. & alijs colligitur; præsertim, cum Cypranus id videatur trahere ex ea persuasionem, quâ videtur existimare aquæ mixtionem esse necessariam necessitate Sacramenti.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum aqua debeat in magna quantitate apponi?

NEGAT. Notandum in Concil. Triburiensi cap. 19. tradi, vt in calice Domini duæ partes sint vini, tertia verò aquæ, sed Concilium hoc Prouinciale eâ in parte minus probatur, nam iuxta Florent. *modicissima aqua adhiberi debet*, & si quidem tanta copia adhibeatur, vt vino præualeat, vel illud equeat quoad vim, graue peccatum committitur, cum id obstat valori Sacramenti. si enim præualeat, ita vinum corrumpitur, vt eius substantia non remaneat; si æquet, poculum non potest dici vinum, atque adeo Sacramentum redditur irritum, idem dicendum si misceatur eâ copiâ, vt merito possit dubitari, num substantia vini remaneat, vel poculum possit absolute dici vinum, quia tunc Sacramentum redditur dubium. videri potest c. *periculosus*, de celebratione Missarum, modicum igitur aquæ est admiscendum, vt sit extra omne dubium vinum præualere & quantitate & virtute, & quo vinum est debilius, eò minus aquæ debet admisceri.

D V B I V M

Vtrum si aqua ante consecrationem non fuerit in vinum conuersa, conuertatur per consecrationem in sanguinem?

OMISSIS duabus opinionibus quas commemorat Innoc. 3. cap. *cum Marthæ*, de celebratione Missarum §. *quasi missi*, quarum vna asserbat per consecrationem calicis vinum quidem conuertere in sanguinem, aquam verò in phlegma: altera verò asserbat aquam retinere speciem & substantiam propriam.

Dux de præsentis questione sunt Theologorum sententia.

Prior negat posse immediate conuertere in sanguinem, sed asserit verti solum mediâ, si nimirum vini actiuitate in illud mutetur; ita sentiunt communis antiqui Scholastici. Alensis 4. parte summæ quaest. 32. membro 3. art. 2. Secus dist. 11. quaest. 6. §. *ad secundam questionem*; Richard. eadem dist. art. 3. quaest. 3. Palud. quaest. 1. art. 6. conclus. 5. Gab. in can. Missæ lectione 35. littera O. Sotus dist. 9. quaest. 1. art. 6. §. *ut verò*, & plures recentiores, quorum aliqui existimant esse certissimâ alij ita loquuntur, vt quodammodo indicent erroneum esse aliud sentire, nam quidâ recentior, postquam huius sententiæ argumenta in oratione aulæ doctoralis proposuisset, ita cõcludit: *nunc igitur indicare, si lubet: aliud certè indicare non potestis, quàm quod credidit, & custodit semper sacra Romana Ecclesia nō aliter aquam in sanguinem transsubstantari*

Obiectio 2. Cypranus. Resp.

Resp. neg. 56. Conc. Triburi. minus probatur.

Cap. Cum Marthæ.

Dux in proposito sententia. Prior negat.

Alens. Scot. Rich. Palud. Gabr. Sotus.

posse, quam si prius fuerit in vinum conuersa, sed hæc videntur minus considerate dicta, cum ex cap. cum *Matthæa* citato constet sententiam quam amplectitur Innocent. 3. solum vt probabilior ab illo iudicari; similiter Romana Ecclesia semper quidem credidit, & custodit quod aqua sola non consecratur, nunquam verò proposuit credendum aquam vino mixtam non transire in Christi sanguinem, si forte ante consecrationem non fuerit in vinum conuersa, neque ex praxi eiusdem id habetur tãquam indubitatum, vt aliquo modo ex dictis constare poterit.

Posterior
asserit.

Posterior sententia asserit aquam cum vino per consecrationem conuerti in sanguinem Christi, licet forte non fuerit prius in vinum conuersa, ita senserunt ante annos quadringentos multi antiqui Scholastici, quorum fit mentio in epistola cuiusdam Gaufridi apud Baronium, tom. 12. ad annum 1188. versus finem; cum enim in illa epistola variæ, pugnantisque inter se de præsentia materiæ referantur sententiæ, quarum vna asserit aquam mutari in sanguinem, nullamque dubium esse possit, quin aqua vino mixta & per vini actiuitatem in illud mutata per consecrationem conuertatur in sanguinem, nullo modo potuit controuersi de aqua prius in vinum conuersa sed controuersia necessariò in eo fuit posita, num aqua possit conuerti in sanguinem per consecrationem, si prius non fuerit in vinum conuersa; atque adeo pars affirmatiua necessariò ita est accipienda, ex quo apparet immeritò aliquos censere hanc sententiam nostro tempore esse excogitatam, & nouam, quod potest confirmari ex eo quod Hugo de sancto Victore quæst. 93. in primam ad Cor. propositâ quæstione, an aqua cum vino mutetur in sanguinem, scilicet non prius mutata in vinum? respondet, dicenti quidam quod mutatur; nobis autem videtur quod non mutatur, ex quo patet etiam tempore Hugonis à Sancto Victore diuersas de præsentia quæstione fuisse sententias, & aliquos in partem affirmantem declinasse, non debet ergo iudicari nuper excogitata; quamuis aliqui recentiores eam accuratius, & fusiùs tradiderint; quam tenet Alanus lib. 1. de Eucharistia cap. 13. qui in hoc excedit, quod dicat id certâ fide tenendum esse. Toletus lib. 2. summa cap. 251 §. 1. *mixta fuit vinum*; Alexander. Resantius disp. 2. circa vltimos art. huius quæst. in fine, & plurimi tum in Hispania, tum in Italia docuerunt, & Romæ publicè defenderunt; quam ob causam alia non potest merito dici semper credita, & custodita in Ecclesia, cum careat omni probabilitate proponendam sententiam in conspectu ipsius summi Pontificis, & sanctæ Inquisitionis, iudicio & sensui ipsius Ecclesiæ repugnantem; nec etiam est vllò modo verisimile Baronium loco citato eandem propugnaturum fuisse, si præcedens esset tam certa & indubitata quam asseritur à quibusdam contrariæ sententiæ, eandem tanquam probabilem docuit Lessius Louanij sub annum 1589. & ego ibidem anno 1605. quam postmodum fusè & doctè edidit Conink Collega meus.

Nō est nostro
tēpore
excogitata.

Hugo de S.
Vict.

Tenet
Alanus.
Tolet.
Resant.

Est publice
Romæ de-
fensa.

Lessius.

Conink.

Notandum quidquid sit de ea quæstione, nusi aqua possit in vinum conuerti virtute ipsius vini, iudicio tamen peritissimorum Medicorum eam, vt pote naturæ tenacissimæ, difficulter in aliud corpus transmutari, ita vt non possit merito dubitari quin possit permisceri vino etiam in minori quantitate, & nihilominus aliquamdiu saltem suam speciem, & naturam retinere.

Resp. & dico videri probabilius aquam mixtam vino conuertendam in sanguinem per consecrationem, si forte prius non fuerit in vinum conuersa.

Probat. 1. ex modis loquendi Patrum; vari enim ita loquuntur de conuersione aquæ permixtæ vino in calice, vt nifi quis priori sententia sit præoccupatus, planè sit iudicaturus eos censere aquam in Christi sanguinem conuerti, quamuis forte ante consecrationem non fuerit conuersa in vinum. Iustinus martyr apologia 2. pro Christianis in fine: de poculo aquæ, & calice temperato, in quo quod nos dicunt dicitur, dant tuncque eorum qui ad sunt percipiendum panem, vinum & aquam, quæ cum gratia cum actiue consecrata sunt, & de istis, quibus multum accepta pocula (quod supra dixerat esse aqua & vino temperatum) Hic est sanguis meus, diuise factus. Ambr. lib. 4. de Sacramentis cap. 4. ergo dicitur, quod ex pane corpus fiat Christi, & quidam videntur aqua in calicem mutari, sed sit sanguis consecratione verbi celestis. & cap. 5. ante verba Christi calix est vinum & aqua plenus, ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur. Damascenus lib. 4. de fide cap. 14. similiter & accipiens calicem ex vine & aqua tradidit illis dicens: bibite ex hoc omnes, hic mens est sanguis Christi, & infra: quia nos hominibus est panem manducare & vinum & aquam bibere, conuenit his ipsis suam divinitatem, & seget hæc suum corpus & sanguinem, & post pauca: panis vinumque, & aqua per invocationem, & aduentum Spiritus S. supernaturaliter transmutantur in corpus, & sanguinem Christi. Paschasius relatus à Gaufrido epist. citata, lib. de corpore & sanguine Domini cap. 11. propterea non incommenienter etiam ob hoc ibidem aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed vertitur in sanguinem. Hildebertus ibidem relatus: aquam sanguinem vertitur & c. Algerus: sed licet in mensa Domini tria constituantur, sunt tamen duo per quæ sacrificatur, & aqua mixta prius vino, sed quando sacrificatur non nisi sanguis erit, quo animam salutem vel vt habetur lib. 1. de Sacramentis corporis & sanguinis Domini cap. 16. cum enim vinum pro Christo, aqua sacrificetur pro populo, & utrumque unus sanguis fiat.

Ex his & similibus Patrum locutionibus, si attentè considerentur, non datur aliud intelligi quam eos existimare aquam conuerti in sanguinem, si forte non fuerit prius in vinum conuersa. Primò, quia eodem planè modo loquuntur de mutatione aquæ in sanguinem, quo de mutatione vini, immò quo de mutatione panis in corpus Christi. 2. quia ne verbo quidem leuissimè indicant aquam prius debere mutari in vinum, quam possit mutari in Christi sanguinem. 3. quia non potest nisi contortè explicari, quod dicit Ambr. cap. 5. citato: ante verba Christi, calix est vinum & aqua plenus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis Christi efficitur: quibus verbis satis declarat quod etiam si aqua reperitur in calice vsque ad ipsius sanguinis positionem, tamen per consecrationem simul cum vino vertatur in Christi sanguinem, denique huiusmodi locutionibus voluit docere totum propositum in calice conuerti in Christi sanguinem.

Ex quibus refellitur responsio adferri solita, quod scilicet Patres non dicant aquam immediate conuerti in sanguinem, & proinde eorum dicta possent explicari de conuersione mediata, hoc sensu: aqua quæ in calice mifcetur, conuertitur in vinum, & mediante vino in sanguinem, id minus solidè dici apparet, cum Patres nunquā huius conuer-

88.
Assumati-
onem defen-
dit: Auson.

Prob. 1.

Iustin.

Ambr.

Damasc.

Paschasius.

Hildebert.

Algerus.

Conink.

Responsio
quorundam
recipitur.

conuer-

conuersionis in vinum meminerint, quam si iudicasset necessariam non debuissent praetermittere, ne alioquin erroris occasione praerent, quia, ut dixi, si modus loquendi illorum attendatur plane ingenerat hunc sensum, quod aqua cum vino ex aquo mutetur in sanguinem per consecrationem, unde ex illorum dictis non minus potest colligi immediata conuersio aquae in sanguinem, quam conuersio vini.

Confir. neque ex his, neque ex alijs Patribus inquam ostendi poterit quod requirant conuersionem aquae in vinum, ut illa mutetur in Christi sanguinem, ergo non est quoddam locutionem, quae plano & obvio sensu sonat immediatam conuersionem aquae in sanguinem, explicemus de mediatâ, & proinde deducimus, si spectemus locutiones Patrum, verisimilius videri aquam vino mixtam per consecrationem immediatè conuerti in Christi sanguinem, licet fortè non fuerit prius in vinum mutata.

Dices. Patres solum in genere locutos, quorum proinde locutiones possint verificari per conuersionem mediatam: supponunt enim vinum agere, id quod solet, id est, aquam alterare, & alterando in suam naturam conuerti, quod si non semper fiat, vel propter maiorem aquae quantitatem, vel ob vini debilitatem, id esse praeter intentionem & curam Scriptoris.

Confir. solemus dicere: panis quem edimus & vinum quod bibimus & cetera quae sumimus alimenta conuertuntur in nostram substantiam, quam tamen transmutationem constat solum esse mediatam, ergo potest commodè dici aquam conuerti in Christi sanguinem, quamuis solum mediatè conuertatur.

2. Quamuis verba indicarent immediatam conuersionem, necessariò tamen de mediatâ essent explicanda, cum subiecta materia id requirat, nam ex Concilijs & Patribus constat materiam huius Sacramenti esse vinum.

Confir. ex ipsomet Damasceno cap. citato ante medium dicente: *corpus enim secundum veritatem communem est diuinitati, quod ex sancta virgine corpus est, non quod ipsam corpus assumptum ex calo descendit, sed quod ipse panis, & vinum transmutatur in corpus & sanguinem Dei. & infra: non est figura panis, & vinum, corporis & sanguinis &c.*

Ad primum resp. neg. antecedens, & dico Patres non supponere quod illis tribuitur, cum loquantur vniuersalissimè & ijs circumstantijs quibus prudenti iudicio non possit supponi aqua in vinum conuersa, ut patet ex Ambr. nec enim Patres prudenter debuerunt supponere aut potuerunt aquam in vinum tam faciliè conuerti quam asseritur à quibusdam, praesertim cum priscis illis temporibus plusculum aquae prisci soleret, saltem non tam diligenter cauere, sicut nunc, ut modicissima aqua vino adhiberetur, ut potest colligi ex cap. *periculis*, citato, & clarè patet ex Concilio Triburiensi cap. 19.

Ad confirmationem respondeo nos ita quidem solere loqui, sed non solere dicere alimentum & sanguis conuertuntur in substantiam aliti seu nostram, quia scilicet illa loquendi forma solet designari aequè immediata conuersio vtriusque, seu quod vinum non conuertatur in tertium mediante alio, cui coniungitur, cum ergo Patres citati coniungant vinum & aquam, & eodem modo de vtriusque loquantur, non possunt commodè explicari, quod velint aquam conuerti in sanguinem me-

diante vino: nam quamuis haec locutio, vinum, & aqua conuertuntur in sanguinem Christi, si praecise sumatur non cogat asserere aquam immediatè conuerti in Christi sanguinem, cogit tamen, ut asseramus non conuerti mediante vino, nisi velimus Patres fuisse valde improprie locutos, (ad quod asserendum nihil vrget) & proinde cum aqua non possit conuerti in Christi sanguinem mediante alio quam vino, bene deducitur ex huiusmodi locutionibus Patres sentire aquam immediatè conuerti in sanguinem.

Ad secundum Respondeo negando subiectam materiam requirere, ut locutiones Patrum de mediatâ conuersione aquae in sanguinem accipiantur, cum neque ex illo Concilio, neque ex vllius summi Pontificis decreto, neque ex ipsius Ecclesiae sensu habeamus aquam vino mixtam non posse immediatè mutari in Christi sanguinem, & licet Scholastici ex quibusdam ratiocinationibus id colligerent (quod in sequentibus examinabitur) non sufficeret, ut diceretur id ex aliquo principio theologico debere necessariò asseri, & proinde neque sufficeret, ut assereretur Patrum dicta in hunc sensum necessariò esse accipienda.

Ex quo sequitur quod Patrum sententiae absque vllâ notâ possint sumi in eo sensu, quem praeseferunt, & debeant, nisi contortè accipiantur, ex quo vltius deducimus esse conformius Patribus (quod in hac probatione intendimus) aquam vino mixtam aequè immediatè mutari posse in sanguinem, atque vinum.

Nec obstat, quod vinum dicatur esse materia huius Sacramenti, i. quia plerique, qui ita loquuntur, solum intendunt contra Aquarios docere vinum necessariò in sacrificio offerendum, non verò solam aquam, ut Cyprianus epist. 63. ad Cecilium, Chrysost. homilia 83. in Matth. & alij, de praesenti verò quaestione nihil omnino tractant.

2. Alij tradunt contra haereticos vinum conuerti in Christi sanguinem, sub singulis eius partibus etiam separatis remanere Christi sanguinè, ut Trident. sess. 13. quod nullo modo intendit quidquam de praesenti quaestione determinare, de qua, saluâ fide licet in vtramque partem opinari, & cum non soleant Concilia quaestionibus inter Scholasticos controuersis se immiscere, sed quando agitur de dogmatibus, soleant contra haereticos doctrinam tradere, ex praedicto Concilio non potest contra nostram sententiam sumi argumentum, cum nihil iuuat ad haereticos refutandos, vtrum aqua mutetur in sanguinem Christi per consecrationem, an non.

Dices internum in Concilijs damnari aliquas Catholicorum sententias.

Resp. ita esse, interdum quidem, quia maximam habent affinitatem cum sententijs haereticorum, ita ut his damnatis illae possint agere defendi, & proinde ex consequenti censentur damnari: interdum verò in seipsis damnari, ad quem posteriorem modum requiritur, ut damnentur in suis terminis, vel aequipollentibus, quod indirectè de praesenti quaestione nullo modo dici potest, ex quo sequitur Concilia asserentia vinum esse materiam huius Sacramenti, sanguinem Christi sub speciebus vini existeri post consecrationem, substantiam vini post illam non remanere, nullo modo aduersari nostrae positioni, & non sequi: nunquam illius mentionem faciunt, ergo tacitè censent aquam non conuerti in Christi sanguinem, quia, ut dixi, non solent sese his opinabilibus im-

Nihil vrget dicere PP. improprie locutos.

Resp. ad secundam.

60.

PP. qui dicunt vinum esse materiam, agunt contra Aquarios. Cyprian. Chrysost.

Trid. nullo modo intendit tractare praesentem quaest.

Interdum in Concilijs damnantur indirectè, vel sententiae quaedam Catholico-rum.

miscere, & ex affirmatione alicuius, quod est de fide, non sufficienter concluditur negatio alterius plantæ disparati.

Quidam per vinum intelligunt mixtum ex more Ecclesie.

61. Prob. 2. conclusio.

3. Aliqui agentes de vino intelligunt vinum permixtum, eo scilicet modo, quo in Ecclesia solet offerri & consecrari in sacrificio: si enim in illo mixto vinum prædominetur (quod ad validam totius consecrationem requiritur) vocatur & communi vñ censetur vinum, & de hoc vino intelligitur Damascenus in confirmatione citatus, ut patet ex locis à nobis relatis. nam verba in confirmatione allata recitat. post sententiam, quam secundo loco ex eo retulimus.

Probatur 2. propositio ex factò Christi; si enim consideremus circumstantias, quibus hoc Sacramentum conficitur, facile in eam veniemus sententiam, ut asseramus eum consecrasse aquam vino mixtam, antequam in vinum converteretur.

Forma consecrationis calicis denotat contentum esse Christi sanguinem.

Vasq.

Suppono autem Christum totum id consecrasse, quod erat in calice positum, & quod in eo inueniebatur ante consecrationem, cum forma id indicet, quæ denotat contentum in calice esse Christi sanguinem; nec vlla probabili ratione possumus asserere Christum noluisse proferre verba super totam materiam in calice inuentam, quamvis Vasquez disp. 178. cap. 3. responsione ad 2. contrarium insinuet.

Hoc supposito probatur assumptum, constat ex Patribus & Concilijs Christum ante calicis consecrationem aquam vino miscuisse; constat etiam ex liturgia Divi Iacobi & Marci illam mixturem non diu præcessisse consecrationem; item ex Iustino & alijs videtur patere aquam admixtam fuisse in aliquâ quantitate; cum Iustinus vocet poculum aquâ, & vino temperatum, quod vsitato modo loquendi minus commodè diceretur, si minimum aquæ admixtum fuisset; neque enim scyphus dicitur aquâ temperatus, si vna gutta infundatur, sed si in aliquâ quantitate; Damascenus etiam dicit: accipiens calicem ex vino & aqua &c. item: quia mos hominibus est panem manducare, & vinum, & aquam bilere, coniungit his ipsis suam divinitatem. quibus verbis satis denotat se existimare Christum aquam miscuisse in aliquâ quantitate: sed, ut constat ex medicis, aqua non potest tam citò in vinum converteri; nec est quòd asseramus hanc conversionem factam per miraculum, cuius nullum appareat vestigium; igitur aqua vsque ad consecrationem permansit in suâ naturâ, & per consecrationem in Christi sanguinem est conversa.

Damasc.

62. Prob. 3.

Probatur 3. ex his quæ præscribit Ecclesia, non leuiter indicat aquam converteri in sanguinem, licet non fuerit prius in vinum conversa, quod ostenditur: nullus potest de industriâ materiæ consecrabilis apponere materiam non consecrabilem; ergo Ecclesia non potest statuere ut vino apponatur aqua in eâ circumstantiâ, quâ moraliter non convertatur in vinum, si remanens in sua specie mixta vino non sit consecrabilis: Ecclesia autem statuit, ut aqua vino apponatur eâ circumstantiâ, quâ moraliter certum est, vel saltem prudenter præsumi potest non convertendam in vinum, sed in suâ specie remanentem mixtam vino esse consecrabilem.

Minor probatur. in Romano Missali, ubi agitur de defectibus vini, præscribitur, ut si post panis consecrationem aduertatur in calice non esse aquam,

apponatur, & calix consecratur: quo casu prudenter debet præsumi aquam in vinum non converti ante consecrationem, cum ea difficulter in aliud mutetur.

Confir. in pagis sæpe vinum est debile, nec ita magnâ quantitate apponitur, ut facile possit resistere aquæ superare, eamque in suam naturam transmutare.

Consequentia verò prima argumenti probatur: priuatus admiscens materiam non consecrabilem consecrabilis idcirco grauitur peccat, quia forma designat totum quod est in calice conuertere in Christi sanguinem, atque adeo est graue sacrilegium aliquid de industriâ apponere, quod in sanguinem verti nequeat: hæc autem ratio vim habet etiam respectu Ecclesiæ statuentis, ut materiæ consecrabilis adiungatur non consecrabilis, & proinde Ecclesia id non potest statuere; nam sua constitutione moraliter præberet occasionem sacrilegij.

Confir. materia debet poni in calice ex intentione, ut consecratur, & in Christi sanguinem conuertatur, alioquin minister grauitur peccat restringens suam intentionem ad partem eius quod est in calice; ergo non potest de industriâ apponere in calice materiam non consecrabilem, & proinde si aqua remanens in suâ naturâ, & specie non sit consecrabilis, non potest apponi ijs circumstantijs, quibus prudenter præsumi debet non convertenda in vinum. Ad hæc aliqua respondet Vasquez supra ad 1. sed non videtur vim argumenti elidere, ut legenti patere potest.

Dices 1. sacerdotem solum intendere in confuso consecrare id, quod est consecrabile.

Resp. id non tollere rationem sacrilegij; sicut enim qui de industria apponeret ceruissiam cum vino nolens eam consecrare vel intendens in confuso solum consecrare, quod est consecrabile, graue sacrilegium committeret, ita si aqua post mixturem cum vino remanens in suâ specie non sit consecrabilis, graue erit sacrilegium illam apponere ijs circumstantijs, quibus debet præsumi non posse in vinum converteri, quamvis intentio solum referatur ad id, quod est consecrabile.

Dices 2. tolli sacrilegium, cum Ecclesia iubeat aquam apponi ad imitationem Christi.

Resp. vel aqua, quam Christus miscuit, conuersa est in vinum ante consecrationem, vel non fuit conuersa: si dicatur secundum, habemus intentum, cum nullo modo sit verisimile Christum non consecrasse totum quod in calice continebatur, si prius dicitur, non potest Ecclesia ex Christi exemplo præcipere, ut apponatur aqua ijs circumstantijs, quibus moraliter certum est non posse converteri in vinum.

Probatur 4. ex modo antiquo procedendi Ecclesiæ: nam olim non videtur tantâ diligentia cautum, ut modicissima aqua apponeretur, vtenim omittam Concilium Triburienſe, quod cap. 9. permittit, ut tertia pars sit aqua, Honorius 3. e. permixtus, de celebratione Missarum, reprehendens abusum, qui in certis partibus inoleuerat, ut in sacrificio aqua in maiori quantitate poneretur, quàm vinum, solum ait: cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in ipso sit de vino, quàm de aqua ponendum, quâ loquendi forma satis indicat, habitâ ratione quantitatis vini, plusculum aquæ olim poni consueuisse, quæ proinde non potuerit præsumi tam facile & commu-

Si aqua non est consecrabilis, Ecclesia sua constitutione præberet occasionem sacrilegij.

Respondet Vasquez non videtur tur famulatu.

Necesse verisimile Christum consecrasse totum in calice contentum.

63.

Prob. 4.

Concil. Tribur.

C. permixtus.

ut in.

ut in.

ut in.

ut in.

ut in.

communiter prius mutanda in vinum, dicendum ergo est vel Ecclesiam tacite existimasse aquam per consecrationem conuerti in sanguinem, quamuis non prius conuerteretur in vinum, vel certe permisisse passim poni aquam, quæ nullo modo conuertere posset in sanguinem, quod non videtur potuisse fieri sine sacrilegio, vt ex dictis patet.

Dices id correctum per Flor. quod tradit modicissimam aquam apponendam.

Resp. hoc non tollere vim argumenti, quia non potest prudenter dici consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ sacrilegium fuisse, & quidem tãto tempore: quamuis ergo ad certius varia pericula vitanda Concil. Flor. prudenter decreuerit, vt aqua modicissima misceatur, dici non potest vniuersalem Ecclesiam ante illud Concilium sacrilegia tamdiu fuisse.

Probat. 5. post consecrationem contentum in calice proponitur adorandum adoratione latræ, vt tradit D. Th. hic, Sotus art. 5. citato, Suarez disput. 4. sect. 4. §. hanc sententiam; qui cõtra eos, quos refert Innoc. 3. cap. cum Martha, de celebratione Missarum, inde probant aquam post consecrationem non manere in propria natura, quia totus calix statim post consecrationem proponitur populo adorandus; ergo supponitur sub omnibus speciebus illius vini mixti non esse aliam substantiam, quam Christum, eiusque sanguinem, vt concludit Suarez supra. ex his autem ita ratio cinatur: sacerdos post consecrationem proponit calicem adorandum etiam his casibus, quibus moraliter certum est aquam non fuisse cõuersam in vinum ante consecrationem; eo autẽ casu nisi dicamus aquam conuerti in sanguinem, sacerdos erit causa idololatricæ materialis.

Probat. 6. populus non solum intendit adorare totum quod est in calice adorabile, sed id quod in calice continetur, bonã fide existimans esse adorabile.

Confr. si proponeretur populo hostia non consecrata, grave sacrilegium committeretur; non ex alio capite, quàm quia præberetur illi occasio idololatricæ materialis, eò quod populus ex cõfusã salutem persuasionem, quod hæc hostia sit consecrata, in illam ferat affectu adorationis. idem dicendum, si cum hostia consecrata proponeretur non consecrata. neque enim rudis populus ita se habet: hoc adoro si est adorabile, vel quidquid est ibi adorabile (cum id sit Doctorem) sed ex cõfusã persuasionem, quod id, quod proponitur, sit adorabile, fertur in illud ex affectu adorationis, & proinde si non sit adorabile, actus est materialiter idololatricæ, & quisquis præbet occasionem isti adorationi, est causa idololatricæ materialis; ergo à primo ad vltimum, si aqua his circumstantiis ponatur in calice, quibus non potest conuertere in vinum, & proinde iuxta priorem sententiam non potest cõuerti in sanguinem, qui ponit de industria, vel iubet poni, est causa materialis idololatricæ, & sacrilegium committit.

Nec refert quod interior submissio non respiciat species; quia eo non obstante, si quis proponeret hostiam non consecratã, censeretur causa idololatricæ materialis; cum ergo sacerdos proponens populo calicem adorandum, censeatur proponere adorandum id quod est in calice sine vlla distinctione, & populus illud adoret, sequitur eum esse causam materialis idololatricæ, si quid apponat de industria, de quo moraliter constat, quod non possit consecrari.

Ex his omnibus patet speculatiue loquendo vi-

deri probabilius aquam ita vino permixtam, vt vinum prædominetur, & totum possit denominari vinum, communi & vlitato modo loquendi, conuerti per consecrationem in sanguinem, quamuis non fuerit prius in vinum cõuersa, ad quod non requiritur vt per minutissimas partes vinum interfecet, nam si vinum prædominetur, totum conuertetur in sanguinem, quamuis in illo aggregato partes aquæ inter se remaneant coniunctæ.

Aduerte tamen, quod quia prior sententia est probabilis, consultius sit modicissimã aquam apponere iuxta Flor. & Ecclesiæ consuetudinem; sufficit enim guttam apponere, vt Ecclesiæ præcepto satisfiat. 2. consultius sit, vt vino, quantum fieri potest, puro. 3. sit etiam consultius suam intentionem conformare intentioni Ecclesiæ, quod si fiat nullus merito relinquitur locus scrupulis: & quamuis fortè suboritur dubitatio, quod aqua non fuerit ante consecrationem in vinum conuersa, atque adeo fortè non fuerit conuersa in sanguinem, sacerdos sumens sanguinem, cui fortè aliquid non consecratum admixtum est, non cõfetur fregisse ieiunium ante communionem necessarium. vnde si nihil sumperit, potest secundo celebrare ijs casibus, quibus permittitur à iure pluries in die celebrare. quod enim apponitur ex præcepto Ecclesiæ ijs circumstantiis, quibus debet apponi, etiam si non cõuertatur in sanguinem, non videtur debere obfata ieiunio per Ecclesiam indicto, si sumatur per modum vini potus cum Christi sanguine, quia sanguis sumi debet, nec potest relinqui id, quod ex præcepto Ecclesiæ appositum fortè in aliquo casu remanet in propria substantia, & sumitur simul cum sanguine.

Contra conclusionem Obijcitur 1. quod Concilia nunquam faciunt mentionem aquæ tanquam materiæ huius Sacramenti.

Resp. supra dictum esse nullam illius mentionem facere, quod nullo modo ad eorum scopum spectaret, vt ostendimus de Trid. cuius scopus fuit contra hæreticos ostendere post cõsecrationem sub speciebus verè esse corpus Christi, & sanguinem, & nihil prioris substantiæ remanere. mentionem autem fecit vini, quia illud est indubitata materia consecrationis & necessaria. de aqua non egit, quia non erat necessarium ad dogma fidei stabiliedum, & quia non ignorabat esse controuersum, num ea verteretur in sanguinem antequam posset in vinum conuertere. similiter de ea non egit Flor. quia non faciebat ad instructionem Armenorum. Adde quod licet aliqua Concilia solum vini mentionem faciant, non censeantur aquam admixtam excludere, cuius Patres aliquando mentionem faciunt. nec enim necesse est quodlibet quolibet loco repeti. Certè Concilia Flor. & Trid. non reddere alteram sententiam ita indubitam, vt ab ea recedere non liceat, vel ex eo patet, quod etiam post Trid. plurimi doctissimi viri nostram sententiam tradiderunt, decretis eiusdem Concilij accuratè perpensis.

Obijcitur 2. cap. cum Martha §. quæsiuit de celebratione Missarum, vbi quæstioni sibi propolita, vtrum aqua cum vino in sanguinem conuertatur; respondet Pontifex, plures hac de re esse Scholasticorum sententias: Prima est eorum, qui censent vinum conuerti in sanguinem, aquam verò conuerti in aquam, quæ fluxit de latere Christi. Secunda est eorum, qui censent quod aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem, cum in vinum transeat mixta vino, licet Physici contrarium asse-

Aqua conuertitur in sanguinem, licet partes aquæ maneat inter se coniunctæ.

65. Sufficit aqua guttã apponere vt satisfiat præcepto Ecclesiæ.

Quod apponitur ex præcepto Ecclesiæ, non obfata ieiunio per Ecclesiam indicto.

66. Obiectio 1.

Resp.

Concilia non agunt de aqua, vt materia, quia nihil ad eorum scopum faciebat.

Obiectio 2.

uerent, qui aquam à vino per artificium posse asse-
runt separari. Tertia est asserentium, quod aqua
non transit in sanguinem, sed remanet prioris vini
accidentibus circumfusa: & addit Pontifex: *ve-
rum inter opiniones predictas illa probabilior indicatur,
quæ asserit aquam in sanguinem transmutari.* ex quo
loco passim argumentantur prioris sententiæ Do-
ctores. Aliqui dicunt Pontificem nullam facere
nostræ sententiæ mentionem, & proinde censere
aquam solum conuertere in sanguinem, cum in vi-
num prius fuerit conuersa; ea enim est secunda
sententia inter relatas à Pontifice. Alij dicunt
Pontificem ita approbare secundam opinionem,
vt non planè improbet tertiam. (de qua dixerat:
præterea dici potest) & velle, quod quando aqua in
vinum est mutata conuertatur in sanguinem, vt
vult secunda sententia: si verò non mutetur in vi-
num, non conuertatur, vt vult tertia. Sed in pri-
mis satis constat tertiam sententiam apud Innoc.
sum, prout repugnat secundæ, & cum eiusdem ex-
clusionem intelligitur, & proinde non posse con-
iungi secundæ, quasi Pontifex vnicam sententiam
sub disunctione ex his confici existimauerit.

Resp.

Resp. igitur ad argumentum, Pontificis respon-
sionē nullo modo nobis aduersari: vel enim Ponti-
fex nullā nostræ opinionis mentionē fecit, vel tacitè
eius meminit: si nullam eius mentionē fecit, reso-
lutio nullo modo facit contra nos, cum solum ap-
probet vnā ex relatis, quatenus aliæ relatæ ei ad-
uersantur; nostra autem, quæ dicit: aqua conuer-
titur in sanguinem, etiam si non fuerit prius in vi-
num conuersa, non aduersatur illi: aqua transsub-
stantiatur in sanguinem cum in vinum transeat
mixta vino; vtrumque enim verum esse potest: si
verò tacitam nostræ sententiæ mentionem faciat,
non potest dici in aliā sententiā illā insinuare, quā
in secundā ibi licet *Physici contrarium asseruerit* &c. &
proinde potius nostræ sententiæ fauet; cum enim
ita secundam sententiam retulisset: *alijs verò dicunt,*
quod aqua cum vino transsubstantiatur in sanguinem;
cum in vinum transeat mixta vino, licet Physici contra-
rium asseruerit, qui aquam à vino per artificium posse
asserunt separari; illam absolute iudicat probabili-
orem, siue transeat in vinum, siue iuxta opinio-
nem Medicorum in illud non conuertatur.

Probatur, nisi hoc sensu & etiam supposita Me-
dicorum sententiā illam approbaret, non deberet
generaliter dicere: *illa probabilior indicatur, quæ asserit*
aquam cum vino in sanguinem transmutari, sed addere
deberet, *cum in vinum transeat;* & deberet certo ca-
su tertiam approbare, cum constet aquam in cali-
ce mixtam vino varijs casibus non mutari in illud
ante consecrationem.

Confr. illa sententia: aqua mixta vino conuer-
titur in sanguinem quando prius in vinum est con-
uersa, non tantum est probabilis, sed certa & do-
gma Ecclesiæ; & proinde si Pontifex suam respon-
sionem ita intellexisset, non solum, vt probabili-
orem debuisset Ecclesiæ proponere, sed vt minime
certam, de qua, saluā fide, dubitare non liceat: cum
ergo sententiā, quam approbat, solum iudicet esse
probabiliorem, eamque opponat non solum pri-
mæ, sed etiam tertiæ, dicendum videtur quod Pon-
tifex eam intelligat absolute, seu etiam admissa
suppositione Medicorum, quod aqua in vinum
conuertere non solet.

Confr. quia alioquin diminuta esset Pontificis
responsio, cum non tantum quæri possit, an aqua
transsubstantiatur in sanguinem, quando prius in
vinum vertitur, sed etiam, quando non fuit prius

conuersa; immò is videatur fuisse sensus quæren-
tis, cum non potuerit dubitare; num aqua in vi-
num conuersa potuerit per consecrationem con-
uertere in Christi sanguinem, ergo Pontifex videtur
voluisse suam responsionem intelligere etiam quo
casu non fuerit conuersa.

Sed his videtur ob stare quod idem Innocentius
postquam hanc quæstionem proposuisset cap. 19.
libri 4. de Sacramento altaris cap. 31. dicit: *quibus-
dam verò non absurdum videtur quod aqua cum vino
per admixtionem transit in vinum, & vinum per conse-
crationem transit in sanguinem; quia enim ambigat aquam
in vinum transire, cum multo vino medicum infunditur
aqua?*

Resp. non ob stare, quia Innocentius eo loco so-
lum ponit modum certum, quo aqua in sangui-
nem conuertatur, de alio ibi nihil decernens, præ-
sertim quod id sufficeret ad redarguendam opi-
nionem asserentium, quod aqua mixta vino per
consecrationem conuerteretur in phlegma, quam
opinionem tum cap. 31. citato, tum alibi tradit esse
falsam.

Obijciunt 3. D. Th. tum hic, art. 8. tum in 4.
dist. 11. quæst. 2. art. 4. quæst. 1. ad 2. qui docet aquam
debere prius conuertere in vinum, vt conuertatur in
sanguinem.

Resp. D. Th. docere quidem aquam conuersam
in vinum conuertere in sanguinem, non tamen ne-
gare conuertere, si non fuerit prius in vinum con-
uersa, vt patet ex vtroque loco, vbi non videtur
facere mentionem status nostræ quæstionis.

Obijciunt 4. quod mixtio aquæ cum vino so-
lum pertineat ad quandam ceremoniam, vt scilicet
repræsentetur Christi factum, & alias ob cau-
sas quas referunt Flor. Trid. & passim authores;
ergo non conuertitur immediate in sanguinem.

Resp. neg. consequentiam; nam licet Ecclesia
propter causas relatas iubeat aquam vino misceri
citra necessitatem Sacramenti, facta tamen mix-
tione bene potest verti in sanguinem, sicut videri-
tur à Christo immediate conuersa.

Obijciunt 5. si aqua mixta vino consecrare-
tur, eius species seorsim existentes remaneret con-
secrata, quod videtur absurdum. Sequela proba-
tur, quia consecratio non deperditur, eo quod id,
quod est consecratum, separatur ab alio.

Resp. i. neg. consequentiam, quia dici potest,
quod, quemadmodum aqua sola non potest con-
secrari, sed, vt sit materia consecrabilis, requiritur,
vt possit denominari vinum, atque vt in toto vi-
num prædominetur, ita dici potest, vt species aquæ
remaneat consecrata, requiri, vt illæ remaneant
connexæ vini speciebus, atque adeo vt remaneant
vini species. ex quo patet responsio ad probatio-
nem consequentiæ, quod scilicet quemadmodum
aqua dependet à connexionem cum vino, vt sit ma-
teria consecrabilis, ita illius species dependeat à
speciebus vini, vt remaneant consecrata.

Potest tamen 2. responderi concedendo seque-
lam, neque id videri absurdum cum minus requi-
ratur, vt aliquid perseueret, quàm vt primò ponat-
ur, vt patet etiam in hæc materiā, probabile enim
est particulam vini consecrati seorsim existentem
sub statu insensibili non perdere suam consecra-
tionem, cum tamen omnium iudicio sub eo statu
consecrari non possit, si quis ergo agere iudicet con-
secrationem deperdi propter separationem specie-
rum aquæ à speciebus vini, nihil absurdi dicit, si
asserat in eo statu posse perseuerare consecrationem
antea factam, quamuis primò fieri non possit.

Aduerte

Aduerte propter dubium, num sub speciebus aquae separatis remaneret Christi sanguis, si conflaret species aquae seorsim à speciebus vini consecrati existere, debere cum omni reuerentia tractari, vel eas sumendo immediate post Christi sanguinem, vel decenti loco reponendo, donec corrumpantur.

Obijciunt 6. aqua non est de necessitate Sacramenti, ut constat; ergo non potest immediate conuerteri in Christi sanguinem; si enim non sit de necessitate Sacramenti, ergo est libera; est autem inaudibile esse materiam liberam in Sacramentis, praeterquam in poenitentia. Confit. Ecclesia non potest constituere materiam Sacramenti, cum ergo aqua solo praepcepto ecclesiastico admisceatur vino, non erit materia ex qua huius Sacramenti, si in naturā suā perseueret.

Resp. concedendo non esse de necessitate Sacramenti, & proinde esse materiam liberam hoc sensu, quod sine illā hoc Sacramentum in solo vino perfici possit; cum quo tamen dico consistere, quod in vino ita permisceatur, ut totum aggregatum communi usu sit & dicatur vinum, possit in sanguinem conuerteri, quamuis non fuerit prius in vinum conuersa; & quamuis nihil simile in alijs Sacramentis inueniatur, non debet mirum censeri, si probabilis huius rei ratio possit assignari. Singula Sacramenta pene aliquid habent singulare; quid ergo mirum si dicatur in hoc Sacramento aquam non esse quidem materiam necessariam Sacramenti (quod ex sensu Ecclesiae constat) si tamen vino adhibeatur, ita ut vinum praeponderet, possit consecrari, idque colligi ex Christi facto, qui iuxta sensum Ecclesiae & Patrum aquam vino in calice miscuit, & ut videtur probabilius, consecratur antequam in vinum esset conuersa; quamuis ergo noluerit, eam necessario adhiberi ad valorem Sacramenti, constituit tamen, ut si adhiberetur, verum posset in sanguinem, licet forte non esset conuersa in vinum, ubi.

Notanda differentia inter peccatum veniale quod dicitur materia libera poenitentiae, & aquam, quod licet peccatum veniale non sit necessario subiiciendum clauibus (de quo alibi) si tamen etiam sine peccato mortali subiiciatur, possit impendi absolutio, ut ex usu & sensu Ecclesiae constat; cuius ratio est quod sit Dei offensā, quae per absolutionem potest remitti, aqua vero non possit sola consecrari, sed mixta vino, & quidem eo modo, ut vinum praeponderet, & totum denominetur vinum.

Ad confut. respondeo quod aqua mixta vino simul cum illo vertatur in sanguinem, non habere ex eo quod praepcepto ecclesiastico vino debeat admisceri, sed ex eo quod Christus ita videatur constituisse, ut quando miscetur vino, per consecrationem conuertatur in sanguinem, siue prius fuerit conuersa in vinum, siue non. Ecclesia ergo suo praepcepto non constituit illam materiam, sed solum obligat ut miscetur, quae debite mixta vertatur in sanguinem. nam Christus illam consecrans videtur suo facto instituisse ut quodcumque debite apponeretur simul cum vino, cum eo conuerteretur in sanguinem.

QUESTIO LXXV.

De conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Christi.

ARTICVLVS I.

Verum in hoc Sacramento sit corpus Christi secundum veritatem?



AFFIRMAT. Probatque tum Patrum

authoritatibus, tum congruentijs. Prima est, quod id conueniat perfectioni nouae legis, ut scilicet veritas quae in lege antiqua varijs figuris fuit adumbrata, in hoc mysterio exhiberetur. Secunda est, quod id conueniat charitati Christi, ut scilicet nos sibi realiter coniungat in hoc Sacramento. Tertia quod conueniat nostrae perfectioni, quemadmodum enim per Incarnationem nobis est proposita diuinitas latens sub humanitate, ita decuit perfectionem fidei nostrae, ut per mysterium Eucharistiae humanitas nobis proponeretur latens sub speciebus. idem intellige de sanguine.

DVBIVM.

Verum in Eucharistia Sacramento sub speciebus panis & vini Christi corpus & sanguis verè & realiter contineantur.

IAM ab annis octingentis varijs circa realem praesentiam Christi in Eucharistia errarunt heretici. nam quidam Ioannes Scotus circa annum Domini 800. de veritate corporis Christi in Eucharistia cepit dubitare; cuius errorem damnatum fuisse in Concilio Vercellensi sub Leone 9. scribit Lanfrancus lib. de Eucharistiae Sacramento contra Berengarium. habetur tomo 6. Bibliothecae sanctae. Huc errorem resuscitauit, & propagauit Berengarius Archidiaconus Andegauensis, ita ut licet non fuerit primus istius erroris author, ei tamen tanquam primario tribuatur, quod eum primus aperte propugnauit: contra quem scripserunt Lanfrancus, Guimundus, Algerus (opera habentur tomo 6. Bibliothecae sanctae) de quibus Petrus Cluniacensis episcopus seu tractatu contra Petrobricianos cap. cui titulus, *Contra id quod dicunt missam nihil esse, nec celebrari debere. ita scribitur: horum primus, de veritate corporis & sanguinis Christi, quia Sacramento rum velamine tegitur, bene, plenè, perfecte, sequens melius, plenius, perfectius, vltimus optime, plenissime, perfectissime, differtur.* Eundemque errorem damnauit praedictum Concil. Vercellense sub Leone 9. Turonense sub Victore 2. in quo Berengarius errorem suum reuocauit, de quo Guimundus lib. 3. de Sacramento altaris; Romanum sub Nicolao 2. in quo tertio eundem errorem reuocauit. videri potest canon, ego Berengarius, de consecratione, dist. 2. & alterum Romanum sub Gregorio 7. in quo iterum reuocauit heresim, in quam saepius post reuocationem

Congruentia cur Christus corpus sit in hoc Sacramento.

Varij hereticorum errores. Quidam Ioan. Scot. condemnatus in Concilio Vercellensi. Berengarius dicitur primus eius erroris author.

Can. Ego Berengarius.